

Bibliothèque numérique

medic@

**Desbois, Louis-René - candidat / Le
Tonnelier, Pierre - président. - An
praecavendis morbis convulsivis
frugalitas ?**

1741.

***Paris : Typis Quillau,
Universitatis & Facultatis
Medicinae Typographi
Cote : ms 2329 n°27***



Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé
(Paris)

Adresse permanente : [http://www.biusante.parisdescartes
.fr/histmed/medica/cote?ms02322_ms02337ax08x0027](http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms02322_ms02337ax08x0027)

DEO OPTIMO MAX.
UNI ET TRINO,

VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LUCÆ
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA.

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS,
manè discutienda in Scholis Medicorum die Jovis 16. Martii
M. DCC. XLI.

M. PETRO LE TONNELIER,
Doctore Medico, Præside.

An praevenendis morbis convulsivis frugalitas?

L.

QUAM infeliciter nascitur homo ! Nunquid quantò dignitate superior cæteris animantibus , tantò iisdem morborum omnium colluvione inferior ? Versos vitæ ejus gradus percurras , quid miserius ! De maternis ostiis inermis egreditur. Ululatu foemineo & vagitibus ortum suum signat. Crescit ille , crescunt fortis humanæ incommoda. Jam adultus , quantas , proh dolor , ærumnas experitur ! Undequaque imminet improvisa pericula ; feroces vix componit motus. Converſis studiis ætate virili non felicior. Quam varios patitur manes , quam furentibus jactatur procellis ! Dum quærit opes , amicitias ; dum inseruit honori , novo æstu turbatur animus , alio sub sole terras lustrat , vasta remis fodit æquora , togæ & belli labores suscipit anhelus. Tandem rapide in deterius mutatur , senescit obrutus miseris. Interim morborum omnium fœcunda evolvuntur germina , quæ per totos artus diffusa flaccidam agitant molem donec nox incubat atra. Singulis sua ultima dies , quam præterire nemini datum , placidè ad illam pervenire solis temperatissime viventibus. Constituit Deus nostræ durationis apicem & nostræ vitæ terminos. Ut illos gula dimidiare potest , debita victûs ratio servare non impar , quidquid contra jactitent medicinæ hostes insensissimæ. Prævidit quidem Omnipotens intemperantiæ vitia , non præſinivit. Suo igitur arbitrio relictus homo præcoccem interitum si declinare voluerit , caveat ne det se ipsum præcipitem , crapulâ & vino ; ab escis multis consultus abstineat. Hâc arte corpus tot machinis stupendis instructum , tot mirandum functionibus , diu servabit incolume. Tenui victu , solidorum consona compages , fluidorum decens copia & reciprocatio , Spirituum animalium concinnæ ordinationes. Horum ope Substantia corporis expers cum Materiali copulatur , utriusque felix necessitudo mire sustentatur. Tam laudabilis corpus inter & animam harmoniæ , quam Divus Senex & Galenus symetriadem vocant , omnium actionum decus & robur præ se ferentis causa unica , effectiva & confer-

A

2
vativa salubris victus ratio. Illâ positâ, spiritus semper sociabiles & amici, nullam seditionem molientes, nec a debitâ crasi recedentes, constanti affluxu & benigno nervosum genus irradiant, motum tardiozem, celeriozem, fortiozem, debiliozem partibus inferunt prout earum Mechanica postulat aut Voluntatis imperium exigit.

I I.

PRISCA gens mortalium animi dotibus eximia, corporis statu spectabilis in bene vivendi normâ, à diætâ scilicet, latos imperturbatâ serie exhauriebat dies. Lentè mortalium vita aliquid detrimenti patiebatur. Ejus stamina ad Nestoreos annos fœliciter producebantur, utriusque sexus splendebant lepores. In debitâ victus ratione mortales commendabat animi venustas illæsa. Quis frontis honos! Quæ gratia! Quam blanda & incolumis genarum conditio! Quantum robur circa pectus æthereum! Quæ membrorum congrua proportio! Qualis illorum herculeus vigor! Non tempus edax frontem rugis sulcabat, nec ex utraque parte recedentes genæ, pelles videbantur; Non quâ parte solent rubescere, purpurissò indigebant mulieres, vegeti sanguinis loco: Non buxeus illarum color, non viridis: Non calvos & porrigine fœdos adscitia cæsaries fraudulenter adornabat. Imò sine lege capilli, & sine pulvere odorato, elegantius unumquemque decorabant. Quæ omnia corporis & animi ornamenta ut uni accepta referas frugalitati, disce antiquæ abstinentiæ documenta, quâ usi fuere Veteres. Vinum bibisse mulieribus perinde erat ac si in adulterio deprehensa; Cum illis sæpe basiis ludebant viri, ut ore explorarent, an illarum spiritus acer. Si hydropotæ mulieres, viri abstemii. In militiâ vinum interdictum apud multos populos, ex instituto Platonis, nisi sacrorum causâ. Epicurus ipse voluptatis assertor acerri-
mus, frugali victu & modesto contentus, aquâ & pane hordaceo, jure nigro, victum quæsit; Non quod voluptates averfaretur, sed quod in tenui victu plus voluptatis illecebrosæ se experiri aiebat. Eadem vigeat Athenis victus ratio: sal-
samenta juvenibus apponere criminofum. Tantæ frugalitatis Philosophi omnes, ut mensam, quamvis parcam, omnino vacuam tolli non sinerent. Si secunda fortè mensa daretur, mel tantum, poma, carica. Platonis cœna lautissima, olera, legumina. Quid de Curio Dentato tot dignitatibus insigni, tot victoriis claro, qui sæpe solis rapis obsonium parare inventus est? Quid de Lycurgo dicta, leges de coercendis epularum sumptibus sanciente? Multos alios non ostento, quia plures. Illorum vestigiis cautus insiste; Non properata erit senectus, non effrecto corpore præmature laxa cutis & tremula; imo licet ævi plenus, inexhausti eris vigoris, & ultra hodiernam valentiam conspicuus.

I I I.

UNUMQUEMQUE sua vexat cura, omne vitium martyres suos habet. Ingluviei obnoxios torquet spasmus, cruciant morbi convulsivi. Dapibus indulgentes, etiam si firmo & robusto corporis habitu; etiam si mole grandiores, sub pondere vitiosæ diætæ gemunt & syderantur. Illorum spiritus effræni & indomiti diras tempestates commovent. Non amplius homo, ut Galenus ostentat, in toto animalium genere medium temperie tenet. In illo, ut ita dicam, abolita creatoris sapientia, cor ejus resilit & tumultuatur; Fluidum spirituosum ex lex debacchatur & furit. Hinc subsultus membrorum, strangulatus, phlogoses, asthmata convulsiva, vertigines, somnolentia, vigilia. Prava diætâ, si diu perseveraret, oleum camino adjicit. Tunc mentis angor, visiones terrificæ, absque febre deliria recurrentia; in dies magis ac magis stupenda explicantur sympto-
mata sibi invicem contraria, & tam specie variantia, quam nec Proteus luit un-

3
quam ! Sæpe enim in quibusdam partibus spirituum animalium intercluduntur semitæ ; tunc sub cinere dolofo iidem spiritus ignem suscitant , & fracto obice , furibundi catervatim irruunt per multas regiones. Unde dolores atrocissimi , horrendæ convulsiones , epilepsia , apoplexia , incendia multa , dum aliæ partes languidæ rigent , frigescunt , spiritibus aliò raptis. modo totum nervosum genus ita enormiter comploditur , ut nullis partibus parcat. Tandem intestinus ille hostis , incola cerebri , cruciantis ita frangit animi robur , ut damonas multi credant se in corpore gestare. Tot mala , tot funesta incommoda vitant sobrii , declinant temperantes paucis contenti ; iis enim aluntur quæ naturæ sunt familiaria , & re , non nomine sunt alimenta : nocet multiplex cibus & in perniciem ducit. Intemperantia sanguinem inquinamentis inficit , cerebrum enervat , in eoque fodinam acrem , salinam , nimis elasticam scelesto commercio producit , tota ejus substantia depravatur , illius laxantur pori. Sic particula heterogeneæ vellicantes , agrestes , iniquo affluxu non represso , illos pervadunt. Hinc spiritus fermento internecino saturati crudeliter exiliunt , & quidquid delirant , miserum plectitur nervosum genus.

I V.

QUIDQUID in horas vitæ detrahitur , per alimenta utcumque restituitur. Illorum ope portionis amissæ perpetua reparatio partibus elapsis consentanea. Parcæ dapes scilicet , firmant bene habitos , renovant defectos , fastidiosos ad appetentiam revocant , omnesque ad laborem durabiles efficiunt : unde cibi mediocritatem postulat Divus Senex , quæ neque infra , inquit , neque supra modum excedat. Conveniens enim cum convenienti coharet ; tunc confluxio una , conspiratio una , consentientia omnia. Helluo indocilis regulam pati , ollæ ferventis amans , neque paucis , neque melioribus utitur , jucundè sapit deteriora , eleganter esurit , sitit pretiosius , esculentorum varietati licentius obsequens sæpe. Quidquid à recepto usu alienius inhiat , & ut titilletur acrius , variis haustibus ardentem sitim incassum lævare quærit. Qui nostris malis cumulus non accederet ! Tanta est conviviorum luxuries , quantum & ipsi epulones non probant. Nostri ne temporibus valentior mollissimorum hominum ventriculus ? An in illo vividior alimentorum subactio ! O nefariè eruditæ & patentes gula à coquo laudem turpiter quærentes ! O terribiles ventres , qui tot agros bestiis , tot sylvas avibus spoliant vix è matre eductis , quorum non justam ætatem expectant festinantes gula ! Hæ nocibiles primitiæ si ad gustum edentium , si ad solatium palati , certè ad nervosi generis supplicium , sed in illis , pretium & novitas placent. Quam opulenter delirant gulosi , illorum triclinia quasi templa adornantur. Apud illos abaci gemunt sub pondere argenteæ supellectilis ; Vasa aurata , doctâ arte elaborata , & variæ capacitatis corruscant ; Patinæ , lances , orbes operosæ calaturæ materiam superantis undique fulgent. Huc igitur accedite lurcones gustationis & promulsidum odor vocat. Vos accersit epuli dominus ; trinis ferculis cœnam parari jussit , & pyramides erexit convivarum stomachis. Cœnate , jus est cœnæ. Ad lautiores cibos , mox secunda dabitur mensa. Ecce mactatas pecudes , perdicum , leporum , escarum omnium strues , servorum affert frequentia , ciborum præfecto præeunte , dapes scissor aggreditur , lacerat & ad numerum cœnantibus dividit. Hinc & illinc fœcundi calices lucent & plus vini in mensam affunditur , quàm quis in cellâ habet. Jam convivæ ebris proximi cantilenis gaudent & exultant. Ecquid dentes otiosi ! num dapes resposant palato ! Quid igitur in tertio ferculo novis gulæ irritamentis onerato ! Quid in summâ mensâ bellariis conquisitis & vario colo-

re formata, ubi unicuique iterum exsiccanda lagena assignatur & liquoribus omnigenis ardentibus, patulis faucibus litandum est. In tam diversis, tam vitiosis succis male elaboratis stomachum gravantibus, non minima certe disjunguntur à minimis, non spirituosae à feculentis, non blanda à nocentibus; Indiscriminatim illi insolentes ventriculi fœtus horrendi, poros cerebri pervadunt, ebullit sanguis, aestuant spiritus, multumque faciles nervi in omnem partem stolidè rapiuntur.

V.

DE victus ratione primus scripsisse gloriatur Hippocrates: à me, inquit, inventa victus ratio à nullo adhuc antea tentata, & mihi inventori pulchra videtur; Pulchra equidem præcognitio illa, quæ antequam ægrotent mortales, in eodem servat statu, utque prior & antecedit alias medicinæ partes etiam dignitate major. Unde Galenus quicumque ægrotabilia novit, hunc præcipue salubria non latere debent, quæ nihil aliud sunt quam perfectio prima, quæ bonum & præsentem statum custodit. Tanto beneficio carent homines ventri dediti; illis auxiliares manus sæpe præbendæ. Nec te fallat carnulenta illa, quam circumferunt, rotunditas. Miferis tantum, ne invidas. Stare videntur, re ipsâ non stant. Tantumque differunt ab antiquâ gente, quantum à vernis frontibus autumnales, quas levis aura discutit. In eis multis erit infirmitas magna ex Sacro Cod. Ab illis vel nimis rigida fibræ crispantur, vel laxæ nullius sunt vigoris. Imitetur ergo saltem quas natura docet, pecudes homo. Illæ docent agendo: Nam sive terrestres, sive squammigeræ, non omnem succum alibilem studiosius appetunt, sicuti helluones. Horum utraque funerati nervi nullam corroborant partem. Ruri degentes, qui naturam sequuntur ducem, simplici victu contenti, proxima non spernunt. Ideo spirituum animalium compage affabrè constituta donantur, hujus discriminis causam expostulas: Urbanorum coquos numera, habebis. Cœnarum ergo salubrem artem, si velis assequi, prandio modico, deambulatione, fame obsonium para, ut Anyti reus. Ex longinquo orbe & magno censu comparata alimenta rejice; Ubi nascimur natura simplex parat cibos. Non sumptuosa sit mensa, nec diu te teneat: lecti sint viri, lectus sit locus, & licet cibi pauci, non totos absorbe, vacuis venis nihil nisi leve committe: quæ alvum humidant elige; Illa iratum ventrem placant, alia pervellunt. Ne offeras, inquit Divus Senex, quæ ventrem attollunt, & flatum creant. Convulsionibus tentantur iis velcentes. *Sanct. Chrysost. audias*: Ventri servientes animi robur & constantiam dissolvunt. Sic & Galenus: Venter crassum subtilem spiritum non parit. Ne damnose & meracius bibas, dilutissimæ sint potiones, tantum dentur poscentibus. Cave ne sordida mappa corruget nares, calices & lanx ostendant te tibi, sermones tandem sint præci Catonis. Si tali victu utaris, mens erit sana in corpore sano & longa servabitur adolescentia. Qui philosophiam illam pythagoricam respuunt Medici, faucibus Divitum grati, vere histriones, non morbos debellant, imò dulcibus alunt venenis & morbis convulsivis assuefaciunt corpora, iis non liberant.

Ergo præcavendis morbis convulsivis frugalitas.

Proponebat Parisiis LUDOVICUS-RENATUS DESBOIS, Flexienfis,
Docteur Medicus Monspeliensis, Baccalaureus Medicus, A. R. S. H. 1741.
à sextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1741.